

⟨III.⟩

## PRINCIPIUM IN TERCIUM, SENTENCIARUM.<sub>DH</sub>

⟨Incepcio.⟩

⟨I.⟩

<1.> C<sup>o</sup>npleto 2<sup>o</sup> libro Sentenciarum ex Dei et Sanctorum auxilio, in quo Magister Petrus de<sub>2</sub> produccione<sub>2</sub> rerum omnium tradidit scienciam, de lapsu angeli et hominis et de reparacione hominis per gratiam mediatoris Dei et hominum factam, iam restat 3<sup>m</sup> liberum de benedicta incarnatione et de reducibilibus in ipsam, ut de donis et virtutibus, operosius aggredi cum diligencia, reverencia et timore. *Cum diligencia*, quia sciencia benedictae incarnationis est intellectui difficilior et ergo oportet mentem<sub>3</sub> dare operam plus attentam; *cum reverencia*, quia materia benedictae incarnationis debet esse affectui<sub>4</sub> preciosior<sub>5</sub>, cum in uno compendio comprehendit tocius creacionis ||| et re-creacionis venerabile sacramentum; et *cum timore*, quia sicut in nulla materia quis compendiosius promeretur, sic nullibi facilius aut periculosius demeretur. Sic enim Iudei et pagani singuli demerentur negantes Verbum Dei esse veraciter incarnatum. Unde cum benedicta Verbi incarnatione sit tamquam primum litus in mari fluctuantibus, cum sit nostre redempcionis exordium, si illud litus Iudei, pagani, Saraceni et heretici quam plurimi arriperent, consequenter de facilis in Christi<sub>6</sub> evangelio ambularent. Tunc enim concederent, quod omne, quod Christus dixit, est verum, quia

10                    15                    20

|||I                    133A

<sup>1)</sup> D: librum add. H. — <sup>2)</sup> Codd.: ad produccionem H. — <sup>3)</sup> Codd.: metem I.  
— <sup>4)</sup> Codd.: effectum I. — <sup>5)</sup> Codd.: preciosior H errore. — <sup>6)</sup> Codd.: Cristo I.

Deus verax et homo, qui mentiri non potest; nunc autem, quia, incarnacionis litus nolunt arripere, necesse est ipsos in dampnacionis pellago fluctuare. Verus autem christianus, qui pia fide ex dono gracie incarnacionis misterium arripuit, debet tamquam amicus Christi alcius ascendere et in nupciis eiusdem incarnacionis in loco alciori recumbere et cum invitante Jesu Cristo Domino<sup>s</sup> delectabiliter epulari. Et cum ad tam grande incarnacionis convivium et occultum eius misterium tamquam epulacionem delectabilem necessaria est cuilibet volenti epulari cum tanto Domino sciencia, igitur ad thema per me sepe replicatum regrediens ita dico: »Si quis vestrum indiget sapiencia, postulet a Deo« Jacobi 1<sup>o</sup>.

| I      <2.> Cum autem secundum Augustinum in 4<sup>o</sup> libro  
 133 B De Trinitate et secundum Philosophum 6<sup>o</sup> Ethicorum  
 sapiencia sit divinarum humanarumque rerum sciencia, et in benedicta incarnacione tam res divine quam humane mirabiliter copulantur, quia in Verbo incarnato, sc. Jesu Salvatore ac redemptore nostro, in quo sunt »Omnes thezauri sapiencie et sciencie Dei absconditi« (Coloss. 2<sup>o</sup>), sunt simul res divine et humane, quia in Deo vero et homine creancia activa, quia creator ut Deus, creacio passiva, quia creatura ut homo, salvacio activa, quia Salvator, et salvacio passiva, quia homo salvus, generacio eterna, quia ab eterno natus, generacio temporalis, quia factus ex muliere, factus sub lege, ut existens verus Deus et verus homo eos, qui sub lege erant, ad venientem plenitudinem temporis redimeret: Ad Galatas 4<sup>o</sup>. igitur ad benedictam incarnacionem quilibet viator indiget sapiencia, ut divinarum rerum et humanarum in Christo incarnato absconditarum thezauros absconditos posset roborata fide per scienciam agnosceret et demum quieto, animo per caritatem ipsi Salvatori incarnato efficaciter adherere. Unde idcirco in themate dicitur 'Si quis vestrum indiget sapiencia, postulet a Deo!'

<3.> Sapiencia quidem incarnata, que ex ore prodiit altissimi primogenita ante omnes creaturas, de qua in 3<sup>o</sup> Sentenciarum agitur, et sapiencia, i. e. divina scriptura, per Magistrum de ipsa eterna sapiencia in eodem libro tradita. De utraque etenim nobis 3<sup>us</sup> Sentenciarum proponitur, ut primam sapienciam per secundam aliqualiter cognoscamus. Nam ad hoc debet fidelibus || magna interesse diligencia, ut ipsam sapienciam, unigenitum Dei Filium incarnatum ex Maria Virgine in carne assumpta pro nostra redempcione humiliter conservatum <cognoscant>. Quam quidem sapientiam nemo clare poterit cognoscere, nisi suam indigenciam per postulacionem humilem voluerit revelare, propter quod dicitur in themate: »Si quis vestrum indiget sapiencia, postulet a Deo.«

<sup>7)</sup> Codd.: qui I. — <sup>8)</sup> Codd.: post invitante I. — <sup>9)</sup> Codd.: quito I.

<4.> Indigit siquidem viator quilibet 1º sapiencia incarnata, que effective indigenciam removet, indigit 2º sapiencia, que instrumentaliter indigenciam removens<sup>10</sup> ad primam perducit sapienciam: ergo postulet a Deo. Nam quia omnis homo per concupiscentiam traduccionem genitus per originale peccatum descendens corruit in infirmitatem, ignoranciam et maliciam, per que ineptus factus est ad divinam virtutem imitandam, ad veritatem cognoscendam et ad bonitatem diligendam: igitur quilibet viator per traduccionem peccati originalis descendens indigit sapiencia<sup>11</sup> incarnata, ut ipsum firmet, doceat et bonificet. Nam ea propter sapiencia, que est Verbum Patris, verus Deus, factus est homo, ut homo existens infirmus firmaret infirmum, doceret ignarum et malum peccati ab homine tolleret et deleret. Ipse quidem unigenitus Dei Filius, factus homo, reddidit se homini imitabilem, cognoscibilem et amabilem. Ergo quicunque satagit Deum imitari, cognoscere et amare, pro certo indigit sapiencia, ergo postulet a Deo, qui misterium incarnationis diligenter postulantibus aperit<sup>12</sup>: ipse namque ait Luce 11º |: »Omnis, qui petit, accipit, et qui querit, invenit | I et pulsanti aperietur.« Revera Veritas dicit, que nec vult nec potest decipere, igitur 'Si quis vestrum<sup>13</sup> indigit sapiencia, postulet 133 D a Deo', qui dicit Luce 11º: »Ego<sup>14</sup> dico vobis: petite et dabitur vobis; querite et invenietis; pulsate et aperietur vobis«; petite sapienciam incarnatam et dabitur vobis<sup>15</sup> modus querendi et efficacia cognoscendi; querite et invenietis graciam in bono proficiendi; pulsate et aperietur vobis<sup>16</sup> incarnationis misterium Jesu Christi. Accedite fatigati, cor sincerum et diligens apponite, quia Sapiencia dicit: »Venite ad me et ego reficiam vos.« Matthei 11º. Venite ad sapienciam incarnatam, haurite sapienciam scripturam sacram de sacratissima incarnatione traditam; ipsa siquidem per<sup>17</sup> incarnationis misterium angelos reparat, animas decorat, demones fugat, tenebras expellit, sanctitatem efficit et humiles collocat in excelsis. O indigentes, accedite ad sapienciam, nam ipsa est peccati delecio, mentis refeccio, ipsa sapiencia sicut sol illuminat, sicut aqua mundat, velut ignis exurit et dyabolum trucidat et constringit. Ipsa sapiencia carnis concupiscenciam mitigat, delectacionem illicitam extingwit, mentem elevat, ad Deum provocat, quem<sup>18</sup> ostendit. Ipsa sapiencia omnia penetrat, omnia docet et inplet<sup>19</sup> omnia. Igitur 'Si quis vestrum indigit sapiencia, postulet a Deo'. Nam ipsa sapiencia animam magnificat, cor letificat, turrim excelsam usque patriam edificat, sensum aperit, omne ||| malum destruit, perfeccionem instruit, excelsa monstrat<sup>20</sup>, celestis regni de- 134 A siderium prestat, hominem cum Deo et angelo pacificat, ignem

<sup>10)</sup> Codd.: remouet *H errore*. — <sup>11)</sup> Codd.: post incarnata I. — <sup>12)</sup> Codd.: et add. I. — <sup>13)</sup> I: om. Codd. — <sup>14)</sup> Codd.: ergo *D errore*. — <sup>15)</sup> Codd.: post querendi *D*. — <sup>16)</sup> Codd.: om. *D*. — <sup>17)</sup> Codd.: om. *D*. — <sup>18)</sup> Codd.: quemquam *D*. — <sup>19)</sup> Codd.: post omnia *D*. — <sup>20)</sup> Codd.: monstrant *D*.

spiritualem in corde accedit, igitur 'quicunque vestrum<sup>13</sup> indiget  
»sapiencia, postulet a Deo'.

<5.> Sapiencia contra omnia vicia certamen bonum est, quia maliciam vincit, radicem omnium malorum cōvertit, sicut loricā induit, sicut galea caput rationis defendit. Sapiencia spes salutis est, consolacio doloris est, noticia veri luminis est, fons est sanctitatis. Sapiencia castigat iuvenem, roborat senem, destruit anime tedium, influit spiritale solacium, pacem revocat, quietem firmat et regnum prestat. Sapiencia tuba mirabilis est, 10 sors leticie est, asperitatem deicit, furorem deprimit, iracundiam fugat, langwentem suscitat, esurientem pascit, sicientem refocillat, delicatos<sup>21</sup> lenit: igitur esurientes et sicientes venite ad aquas<sup>22</sup> sapiencie, et qui non habetis precium, haurite, petite et dabitur vobis, nam dicit thema: 'Si quis vestrum indiget sapiencia, po- 15 »stulet a Deo', qui hec omnia dat postulantibus affluenter.

<6> Sed audite et pensate, karissimi, quia nullus malivolus est auditor utilis et conveniens incarnate sapientie et misterii incarnationis sacratissime: ergo volens audire sit fidelis, humilis, studiosus et mundus. Nam in Deo sub humanitatis cortice latitat | I alta sapiencia, ut refellatur<sup>23</sup> infidelitas, est humiliatus Deus, ut 134B conculcetur superbus, latitat summe clara et munda divinitas, ut mundetur humana feditas, latitat omnibus mobilibus mobilior sapientia prima, ut reprimatur negligencia. Ergo estote fideles, humiles<sup>24</sup>, studiosi, mundi ac fervidi, quia sic in cortice humanitatis videbitis Deum<sup>25</sup> interiori oculo: »Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt« ait Sapiencia Matth. 5°; »videbunt« inquit »Deum«, qui omnem perspicacitatem humani ingenii excellit, qui incarnationem pro redempcione humani generis disposuit, in qua nichil est contempnendum, tamquam inutile, nichil respondendum, tamquam falsum, nichil repudiandum, tamquam irritum, sed cum omni veneracione laudabiliter acceptandum. Pro qua quidem incarnatione concipienda saltim aliqualiter quilibet viator 'indiget sapiencia', igitur congrue pro materia 3<sup>ii</sup> libri Sentenciarum, aggredienda in themate dicitur: »Si quis vestrum indiget sapiencia, postulet a Deo«. Et tantum breviter *quoad primum*.

<7.> In quibus verbis divina sapientia et sic scriptura sacra, ut dixi in faciendo principium in <1<sup>m</sup>> librum Sentenciarum, commendatur ex nobilitate dignitatis, quam habet ex unione mirabili, quantum ad 3<sup>m</sup> Sentenciarum, qui principaliter de benedicta tractat incarnatione, que est assumptio vel ypostatica unio; que est valde mirabilis, cum ad ipsam unionem consequitur, ut idem sit temporale et eternum, creatum et increatum, finitum et infinitum,

<sup>21)</sup> Codd.: dolicatos D. — <sup>22)</sup> Codd.: quas D errore. — <sup>23)</sup> Codd.: resolvatur H.  
— <sup>24)</sup> Codd.: et add. D. — <sup>25)</sup> Codd.: om. D. — <sup>26)</sup> Codd.: post sapiencia I.

comprehensibile et incomprehensibile, divisibile et indivisibile, passibile et inpassibile, || mutabile et inmutabile, infactibile et factum, || <sup>I</sup>  
 eternaliter genitum — temporaliter natum, mortale et immortale, <sup>134 C</sup>  
 creatura et creator, Verbum — caro, Deus — homo: quis audivit talia, dic, rogo, facta? O vere mirabilis est ista assumptione, incarnatione sive unio, per quam Deus, qui creavit omnia, natus est ex femina, assumens, quod non erat, manens, quod erat; vere hic quilibet viator indiget sapiencia, qua posset aliqualiter dinoscere hanc mirabilissimam assumptionem sive ypostaticam unionem, que nec est generacio, nec conversio, nec mutacio, nec alteracio, <sup>10</sup>  
 sed personalis ydemptificacio; et si est mutacio, tunc est potissima mutacio dextre excelsi. Non enim est generacio, licet ad ipsam<sup>27</sup> consequitur, sicut motus localis ad motum augmentacionis, cum omnis generacio temporalis sit a non existere ad existere produccio; nec est conversio, cum subsistencia Verbi manet summa secundum omnes eius proprietates, non conponens cum aliquo, nec est alteracio, tum, quia humanitas assumpta non est inherens accidentis, tum eciam, quia persona secundum naturam precedentem, humanitatem assumptam, est omnino immobilis eo, <sup>15</sup>  
 quod illi nature non potest accidentis, ad quod est motus, formaliter inherere. — Ecce, quam mirabilis est ista ypostatica<sup>28</sup>, <sup>I</sup> unio, que est plurium naturarum ydemptitas personalis, per quam plures nature sunt una persona, dicente venerabili Anselmo in De <sup>134 D</sup> incarnatione Verbi cap<sup>7</sup>: »Sicut in Deo una natura est <sup>20</sup>  
 »plures persone, et plures persone sunt una natura, sic in Christo <sup>25</sup>  
 »una persona est plures nature et plures nature sunt una persona:  
 »quemadmodum Pater est Deus, Filius est Deus et Spiritus Sanctus  
 »est<sup>29</sup> Deus et non tres dii, sed unus est Deus, ita in Christo: Deus  
 »est persona et homo est persona, non tamen due persone, sed una<sup>30</sup> <sup>30</sup>  
 »persona. Ecce mirabilis unio, ex qua consurgit nobilitas dignitatis sapiencie, i. e. scripture sacre, quoad 3<sup>m</sup> Sentenciarum, ex qua effectualiter commendatur, ob quod dicitur nobis: »Si quis vestrum indiget<sup>31</sup> sapientia, postule a Deo<sup>31</sup>«, qui est pro humano genere misericorditer incarnatus<sup>32</sup>.

---

<sup>27)</sup> Codd.: eam H. — <sup>28)</sup> Codd.: ypostica I. — <sup>29)</sup> H: om. ID. — <sup>30)</sup> Codd.  
 est add. D. — <sup>31)</sup> Codd.: verba indiget ~ Deo om. D. — <sup>32)</sup> Codd.: et cetera  
 baba add. D.

<II.>

## Questio principalis.<sub>H</sub>

**U**Trum pro redempcione generis humani solum Dei<sup>33</sup> Filius potuit incarnari?

<1.> Arguitur, quod non. Pro redempcione generis humani de potentia tocius increase Trinitatis potuit angelus incarnari, ut angelus hominem redimeret bonus, quem angelus per seducionem<sup>34</sup> perdidit malus: igitur questio falsa. Item: pro redempcione generis humani potuit Deus Pater incarnari, cum sit precise tante potencie, sicut Filius: igitur questio falsa. In oppositum arguitur sic: pro redempcione generis humani optimus modus possibilis fuit Dei Filium incarnari, cum suis dependenciis, ergo solum illum potuit increata Trinitas eligere. Tenet consequencia: nam si minus bonum eligeret stante tanta facilitate, illud, quod est congruencius, pro eius gloria obmitteret et per consequens in eleccione deficeret.

|| I 135 A Consequens impossibile, || ergo et antecedens. Sed assumptum, sc. quod pro redempcione generis<sup>35</sup> humani optimus modus possibilis fuit Dei filium incarnari, cum suis dependenciis patet per dictum Verbi incarnati: »Popule meus, quid ultra debui facere et non feci?» Ysaie 5°<sup>36</sup>. Et Jo h a n n i s 19° dixit, finiens redempcionem generis humani »consummatum est« i. e. summe perfecte opus redempcionis factum est. — Protestor<sup>37</sup> . . .

<2.> Noto<sup>38</sup>, quod questio<sup>39</sup> ista unum presupponit et aliud querit Presupponit enim<sup>40</sup>, quod pro redempcione generis humani Dei Filius potuit incarnari, et querit, utrum solum<sup>41</sup>, ipse Dei Filius potuit incarnari. — Pro supposito noto 1°, quod 'redimere' ex vi significacionis est perditum vel venditum iterum per empacionem

<sup>33)</sup> Codd.: post Filius I. — <sup>34)</sup> Codd.: secucionem D. — <sup>35)</sup> Codd.: post humani I. — <sup>36)</sup> Codd.: om. D. — <sup>37)</sup> D in marg. add.; ceteri om. — <sup>38)</sup> Codd.: nota D. — <sup>39)</sup> Codd.: post ista D. — <sup>40)</sup> Codd.: om. I. — <sup>41)</sup> Codd.: post ipse D.

habere vel acquirere; et quia genus humanum per peccatum se<sup>42</sup>  
 perdiderat et vane vendiderat, iuxta illud Ysaie 52º: »Gratis  
 »venumdati estis et sine argento redimemini«, igitur necessaria fuit  
 ei redēpcio, que pro offensa dicit infinitatem precii, et per con-  
 sequens Deum. Et preter hoc oportet, quod distingwatur essencia-  
 liter a<sup>43</sup> solvente, cum non sit possibile quidquam mercari primo  
 et<sup>40</sup> inmediate secundum se ipsum; et per consequens oportet  
 precium, quod secundum Deitatem est infinitum, esse naturam  
 alienam creatam. Cum autem nulla alia plus fuit pertinens, quam  
 illa, que peccaverat, que compendiosissime et satis faciens et pre-  
 cium mercans et mercatum reconcilians et reconciliatum redimeret,  
 relinquitur, quod<sup>44</sup> oportet mediātorem Dei et hominū esse Deum  
 et hominem Iesum Christum Dominum humani generis redē-  
 ptorem. Ipse testatur dicens Matth. 20º: »Filius hominis non  
 »venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam in redēp-  
 »cionem pro multis«. Et Johannis 3º: »Sic Deus dilexit mun-<sup>I</sup>  
 »dum, ut Filium suum unigenitum<sup>45</sup> daret<sup>46</sup>, ut omnis, qui credit in  
 »eum, non pereat, sed habeat vitam eternam«.

Ex isto notabili patet, quod purus homo humanum genus  
 redimere non potuit, quia solum Deus et homo, qui est infinitum  
 precium, satisfecit. — 2º patet, quod genus humanum, quod est  
 cumulus omnium hominū a primo homine Adam usque ultimum  
 hominem, non secundum se et quodlibet sui est redemptum eo,  
 quod non secundum quodlibet sui fuit gratis venumdatum, cum  
 Christus homo non se gratis vendiderat principi huius mundi. Et  
 hinc dicit ipse Christus Johannis 14º: »Venit princeps huius<sup>46</sup>  
 mundi et in me non habet quidquam; sed ut cognoscat mundus,  
 quia diligo Patrem et sicut mandatum dedit michi Pater, sic facio«.

<3.> 2º nōto, quod Filii Dei incarnacio est<sup>47</sup>, humāne na-  
 ture unio ypostatica, vel personalis nature humāne assumpcio  
 ypostatica divine nature, sive Verbi Dei cum humāna natura per-  
 sonalis ydēmptificacio, et sic Filium Dei incarnari Filium Dei hu-  
 mane nature ypostatica vel personaliter uniri, Filium Dei humānā  
 naturam assumere, Filium Dei cum humāna natura ydēmpti-  
 ficari idem sunt, sed in modis aliqua illorum differunt. Unde solum  
 facio, qua natura racionalis fit Deus, est incarnacio, assumpcio,  
 vel ypostatica unio; et per consequens solum ydēmptificacio est  
 assumpcio.

<4.> Pro quo nōtandum ulterius, quod assumere perso-  
 nāle, de quo scriptura sacra cum sanctis doctorib⁹ loquitur, est  
 duas naturas personaliter unire, || i. e. duas naturas facere esse<sup>48</sup> || I  
 unum suppositum vel personam. Et idcirco vocatur unio perso-<sup>135 C</sup>  
 nālis, et potest secundum tres gradus active intelligi<sup>49</sup>: 1º pro

<sup>42)</sup> Codd.: post humanum I. — <sup>43)</sup> Codd.: ab I. — <sup>44)</sup> Codd.: om. D. —

<sup>45)</sup> Codd. Vulg.: in D ordo mutatus. — <sup>46)</sup> Codd.: post mundi D. — <sup>47)</sup> Codd.: om. I. — <sup>48)</sup> Codd.: est D pessime. — <sup>49)</sup> Codd.: intellige D.

active principiare unionem huiusmodi; et sic tota increata Trinitas assumpsit naturam humanam, de quanto univit eam ypostatice Verbo Dei. 2º capitul<sup>50</sup> ‘assumere’ striccius pro activa causancia unientis principii<sup>51</sup>, ut ipsum fiat eadem persona cum natura unita; et sic<sup>52</sup> natura divina univit vel assumpsit in supposito Verbi naturam hominis, quia fecit naturam hominis esse eandem personam, non eandem naturam cum natura divina. 3º assumere personale dicitur strictissime pro causancia persone, que fecit naturam causatam, sive creatam esse idem personaliter sibi ipsi; et isto modo salutem Verbum assumpsit hominem sive humanitatem.

Ex istis per modum correllarii est 1<sup>a</sup> *conclusio* ista: Oportet assumptum solum esse creaturam. Omne quidem assumere est efficere ydemptitatem unius ad aliud; sed omne efficere est solum temporale; ergo cum assumptum non potest temporaliter prefuisse, sequitur, quod assumptum solum<sup>53</sup> oportet esse creaturam, quia nec alia persona, nec alia natura est Christi humanitas, quam creatura, licet sit creator, quia persona<sup>54</sup> Verbi, que persona secundum Deitatem, non secundum ipsam humanitatem, creat omnia. —

2<sup>a</sup> *conclusio* per modum corellarii est ista: Non potest esse personalis assumpcio, nisi persona naturam assumpserit, non personam; oportet enim, quod persona assumat, quia aliter non esset unio personalis, nisi persona ydemptificaret sibi naturam. Et quod oportet personam assumentem naturam assumere, non personam, patet ex hoc, quia personarum personalis ydemptificacio vel naturarum essencialis ydemptificacio est impossibilis, cum nullum unum suppositum potest esse reliquum, vel aliud, nec una natura potest fieri<sup>55</sup> alia. Sed sicut persone maxime entitatis uniuntur in supra essencia vel natura, sic nature maxime distantes ydemptificantur in eodem supposito vel persona. Et patet 1º, quod natura divina non potest primo sibi assumere naturam aliam vel personam. Patet ex hoc, quia non potest esse alia natura vel persona, quam est ab intrinseco necessario absolute; et nullius talis potest fieri assumpcio; oportet ergo naturam divinam uniri Verbo primo<sup>56</sup>; non nature, quam Verbum assumpsit; 2º patet, quod assumpcio ypostaica nec est generacio, nec conversio, nec alteratio, sed ydemptificacio, ut supra dictum est. 3º patet, quod non est assumpcio, nisi substancie, et per consequens nullius forme inherentis est assumpcio, ut Cristus non assumpsit ypostaice se pati, mori, vel ascendere, quamvis<sup>57</sup> se fecit huiusmodi, quia alias ydemptificaret passionem, mortem et ascensionem ypostasi Verbi, quod est impossibile. 4º patet, quod nulla persona divina potest aliam personam assumere: patet quia impossibilis est ydemptificacio personarum.

<sup>50</sup>) *H*: causatur *I*, in *D* rasum. — <sup>51</sup>) *Ex coni.*: principaliter *Codd.* — <sup>52</sup>) *Codd.*: om. *I*. — <sup>53</sup>) *Codd.*: post oportet *D*. — <sup>54</sup>) *Codd.*: personale *I* errore. — <sup>55</sup>) *Codd.*: esse *I*. — <sup>56</sup>) *I*: post nature *D*. — <sup>57</sup>) *Codd.*: quam *D*.

<5.> 4 noto pro intellectu questionis, quod duplex est potencia Dei, sc. absoluta et ordinata<sup>58)</sup>. Potencia Dei absoluta est potencia, que terminatur ad possibilia in esse intelligibili vel absolute possibili. Sed potencia Dei ordinata est potencia, que terminatur ad possibilia secundum suum existere pro dato tempore; et ista potencia ordinata dependet ab existencia creature et a potencia absoluta, tamquam ab extremis, ut Verbum incarnari, sive verbi incarnacio dependet ab ||| absoluta potencia Verbi eternaliter <sup>I</sup> <sup>136 A</sup> et ab ordinata dependet ab humanitate temporaliter, cum Verbum <sup>10</sup> absolute necessario potuit incarnari et ordinate temporaliter, quia veniente temporis plenitudine est ordinatissime incarnatum. Nec obstat, quod omnis potencia de absoluta est ordinata, ymmo ordinatissima inter Deum et esse intelligibile ipsius possibilis, sed non est ordinata sic, ut ponat formaliter existenciam creature: nam ad hoc restringitur proprie potencia ordinata et distingwitur sicut contingens<sup>59)</sup> a simpliciter necessario, ab ipsa potencia absoluta, ut si Pater potest incarnari, tunc dicitur potencia absoluta. Sed quia Filius incarnatus est, dicitur Filium incarnari potencia ordinata; et Patrem posse incarnari erit<sup>60)</sup> simpliciter necessarium, sed Filium incarnari contingens, cum iam temporaliter (et sic contingenter) sit Dei Filius incarnatus.

<6.> Ex iam dictis cum prioribus pro<sup>61)</sup> supposito questionis *conclusio* sit ista: Filius Dei pro redempcione generis<sup>62)</sup> humani est incarnatus. Probatur. Filius Dei dicit: »Exivi a Patre et veni in mundum«; item: »relinquo mundum et vado ad Patrem« <sup>25</sup> Johannis 16<sup>o</sup>. Sed cum omnis exitus est illi Verbo impertinens preter incarnationem, igitur exivit a Patre per incarnationem. Et cum sapientissimus Dei Filius non frustra exivit, cum Deus nichil facit frustra, sequitur, quod in redempcionem humani generis est incarnatus. Tenet consequentia per illud dictum Filii Dei Matth. 20<sup>o</sup>: »Filius hominis venit dare animam suam in redempcionem pro multis«, et per illud Johannis 10<sup>o</sup>: »Ego veni, ut vitam habeant et abundancius habeam, quia hoc mandatum accepi a Patre meo«. Ecce totum antecedens est verum et consequentia<sup>63)</sup> <sup>136 B</sup> bona; igitur conclusio vera.

Ex ista conclusione primo sequitur, quod Deus Pater voluit Filium incarnari pro redempcione generis humani. — 2<sup>o</sup> quod noster redemptor est verus Dei Filius temporaliter incarnatus. — 3<sup>o</sup> sequitur, quod Filii Dei incarnacio est generis humani a peccato et a dampnacione liberacio. Et hinc canit ecclesia: »Qui propter nostram salutem descendit de celis et incarnatus est<sup>64)</sup> de<sup>65)</sup> Spiritu<sup>65)</sup> Sancto<sup>65)</sup> natus<sup>66)</sup> ex Maria Virgine et homo factus est<sup>64)</sup>. — 4<sup>o</sup> sequitur, quod questio quoad suppositum est vera, cum

<sup>58)</sup> Codd.: ordina D errore. — <sup>59)</sup> Codd.: in I continens errore. — <sup>60)</sup> Codd.: et sic H. — <sup>61)</sup> Codd.: pre D. — <sup>62)</sup> Codd.: post humani I errore. — <sup>63)</sup> Codd.: est add. I. — <sup>64)</sup> Codd.: om. H. — <sup>65)</sup> Codd.: om. I. — <sup>66)</sup> H: om. Codd.

sequitur: pro redempcione generis<sup>67</sup> humani Dei Filius est incarnatus, igitur pro redempcione generis<sup>67</sup> humani Dei Filius potuit incarnari.

<7.> *Conclusio 2<sup>a</sup>*: Solum Filius<sup>68</sup> Dei pro redempcione generis humani propriissime voluit sibi ipsi personaliter carnem unire. Probatur. Solum ipse Filius Dei ad se et in se, ut esset unum suppositum, carnem assumpsit; igitur conclusio vera. Consequencia tenet ex ‘quid nominis’ propriissime personaliter assumere, ex 3<sup>a</sup> particula 3<sup>ii</sup> notabilis, et assumptum ex eo, quod nec essentia divina sic carnem assumpsit<sup>69</sup>, nec potest assumere ex dictis superius; et nec Pater, nec Spiritus Sanctus, nec aliqua alia<sup>70</sup> res sic sibi carnem personaliter univit: igitur totum antecedens verum, et per consequens conclusio.

Ex qua conclusione sequitur, quod Filius Dei est verus Deus et verus homo: et hinc canit ecclesia: »Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus«.

2<sup>o</sup> sequitur, quod Filius Dei Christus est duplicitis substancie. Patet, quia divine et humane; et hinc canit ecclesia, quod ipse est procedens de thalamo suo gemine gigas substancie.

|| I  
136 C 3<sup>o</sup> sequitur, quod Filius Dei eternaliter || genitus est homo temporaliter factus; et hinc canit ecclesia: ‘genitum non factum’. Et Apostolus Ad Galatas 4<sup>o</sup> dicit: »Factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret«: ergo conclusio cum corellariis suis vera.

<8> *Conclusio ultima* pro quesito<sup>71</sup> est<sup>71</sup> ista: non pro redempcione generis humani solum Dei Filius potuit incarnari. Probatur. Pater vel Spiritus Sanctus pro redempcione generis humani potuit incarnari: igitur conclusio vera. Consequencia tenet ex vi repugnancie oppositi consequentis ad<sup>72</sup> antecedens, et assumptum ponit Magister in distincione 3<sup>ii</sup><sub>73</sub> libri 1<sup>a</sup>.

Ex omnibus iam positis patet, quod questio<sup>74</sup> quoad suppositum est vera, sed quoad quesitum<sup>75</sup> falsa. Ad rationem in oppositum negatur consequencia. —

<sup>67)</sup> Codd.: post humani I. — <sup>68)</sup> Codd.: post Dei I. — <sup>69)</sup> Codd.: assumpserit I.  
— <sup>70)</sup> Codd.: post res I. — <sup>71)</sup> Codd.: questione I pessime. — <sup>72)</sup> Codd.: et I. —  
<sup>73)</sup> Codd.: post libri D. — <sup>74)</sup> Codd.: conclusio ante quod I. — <sup>75)</sup> Codd.: est add. D

### <III.>

<1.> Iam *restat* venerabilibus magistris et baccalariis mecum in sentenciis concurrentibus occurrere, argumenta eorum michi facta in contrarium pro posse dissolvere ac eos argumentis aliquibus ad scolas docendum leviter concitare. Et quia primo **venerabilis frater Johannes de Monte, baccalarius formatus, contra conclusionem meam 4<sup>am</sup>**, quam posui faciendo principium in 2<sup>m</sup> librum Sentenciarum, sc. istam: ‘non potuit mundus sensibilis eternaliter esse productus’, arguit sic: ‘Si Deus produxisset mundum, ante quodlibet instans signatum vel signabile produxisset eum ab eterno’; concedo condicionalem; et quando assumit: ‘Sed ante quocunque instans signatum vel signabile potuit Deus produxisse mundum’: hic respondeo dupliciter: 1<sup>o</sup> concedo, quod ante quodlibet instans Deus potuit produxisse mundum, i. e. habuit potentiam producendi, sed mundus non potuit produci ante quodlibet instans. Et tunc nego consequenciam, et sic cassatur<sub>76</sub> argumentum longum. Et ultra palpitat | probando sic: ‘quocunque | I instanti dato, vel<sub>77</sub> ante illud, potuit Deus mundum producere et mundus potuit produci’: nego 2<sup>am</sup> partem, ut prius, et cum assumit: ‘Si non, sit illud instans primum esse mundi<sub>78</sub>’: hoc non solum admitto, sed concedo: nam ante primum instans sui esse mundus corporeus non potuit esse; et quando arguit ultra ‘ante illud instans potuit Deus anticipare creacionem, quod usque ad incarnationem fluxissent centum milia annorum’, iterum dico, quod Deus potuit, quia potentiam habuit, sed mundi duracio non potuit anticipari. 2<sup>o</sup> respondeo breviter, negando antecedens, sc. quod Deus potuit ante quodlibet instans mundum producere. Nam ante primum instans nullum instans potuit producere, quia tunc illud non<sub>79</sub> foret primum, si in alio priori produceret.

<sup>76</sup>) Codd.: causatur I errore. — <sup>77</sup>) Codd.: in I errore iteratum. — <sup>78</sup>) Codd.: om. I. — <sup>79</sup>) Codd.: om. D.

2º contra eandem conclusionem arguit sic: 'Creatura fuit ab eterno', i. e. eternaliter, semper loquendo de esse existere: nego assumptum. Et quando arguit per argumentum a simili Richardi de S. Victore in libro de Trinitate: »Est aliquid ab eterno et a se; et hoc est Pater, et est aliquid nec ab eterno, nec a se; et hoc est creatura« ergo inter extrema erunt duo media, videlicet, quod aliquid sit a se et non ab eterno — et hoc est impossibile, vel quod aliquid sit ab eterno et non a se, et hoc est necessarium, et illud est falsum. Eodem modo dominus<sup>80</sup> baccalarius arguit<sup>81</sup> sic: 'est aliquid procedens ab eterno in ydemptitate essencie, ut Filius': concedo; 'et<sup>82</sup> est aliquid procedens nec ab eterno nec in ydemptitate essencie, ut anima Sortis': concedo<sup>83</sup>: 'ergo inter duo extrema erunt duo media; vel quod aliquid sit a Deo in ydemptitate et non ab eterno, quod est impossibile, vel quod aliquid sit a Deo ab eterno ||| et non in ydemptitate essencie:  
 137 A et hoc erit aliqua creatura, si consequencia Richardi erit bona: et ista erit bona, vel detur instancia, quare una valet et alia non'. Ecce hic dico, quod neutra consequencia valet et<sup>83</sup> reverendus dominus baccalarius deceptus est realiter<sup>84</sup> in estimacione consequie Richardi, quod foret bona, non pensans, quod Richardus arguit ex ypotesi adversarii negantis, quod omne, quod est, vel est eternum, et sic a se, vel temporale et sic ab alio. 2º non advertit, quomodo in argumento Richardi dicitur 'est aliquid nec ab eterno nec a se et hoc est creatura'. Ecce istud dictum est contra ipsum baccalarium probans, non posse creaturam esse eternam, et sic Golias gladio proprio est prostratus<sup>85</sup>.

3º arguit sic reverendus dominus<sup>86</sup> baccalarius: 'omnis causa, cui nichil resistit, et que nec impediri potest, illa pro qualibet mensura potest in suam operacionem' concedo 'sed prime cause nichil resistit, nec aliquid eam impedit': concedo, quamvis possem dicere, quod sepe dominus baccalarius resistit una mecum bone voluntati prime cause. Et quando infert: 'ergo pro qualibet mensura potest in suam operacionem' concedo consequenciam eo, quod pro qualibet mensura habet suam potentiam ad operacionem suam pro dato tempore exequendam. Et ultra ad consequens dominus baccalarius nichil infert, et consequenter concedo confirmationem, quod Deus pro mensura eternitatis habet et habuit potentiam activam mundum creandi, et nego, ut prius, quod mundus sensibilis potuit pro mensura eternitatis creari. Nam mundus sensibilis non pro illa mensura extitit et per consequens nec potentiam passivam creandi pro illa mensura habuit. Et quando confirmat | I argumentum 2º sic: 'Sicut omnis creatura est ex | nichilo, sic ten-  
 137 B dit in nichil', vere dominus baccalarius facit iniuriam primo hu-

<sup>80</sup>) Codd. dicit, quod H solus in dominus correxit. — <sup>81</sup>) H: arguitur ID.  
 — <sup>82</sup>) Codd.: verba et ~ concedo om. I aberrans oculis. — <sup>83</sup>) Codd.: om. I. —  
<sup>84</sup>) Codd.: et add. I. — <sup>85</sup>) Codd.: percussus I. — <sup>86</sup>) Codd.: om. H.

manitati Christi, que non tendit in nichil, 2º toti Ecclesie, sponse Christi, que non in nichil tendit, sed in vitam eternam, ad quam deducere<sup>87</sup>, dignetur ipsum fratrem Dominus Jesus Christus.

<2.> Expedito in argumentis<sup>88</sup> fratre restat expedire monachum griseum, reverendum magistrum meum Matheum, sacre theologie baccalarium, de Aula Regia, qui contra meum notabile, in quo dixi: 'Creare est aliquid de esse intelligibili nullo preter Deum presupposito ad extra producere' arguit sic: 'nullum est esse intelligibile'; nego assumptum, quando arguit 'vel ipsum esset aliquod esse reale et quidditativum, vel non': dico, quod non. Et quando infert: 'Igitur illud esse intelligibile esset solum in intellectu sine correspondencia rei', nego istam consequenciam, quia ipsa nititur destruere omne obiectum ipsius<sup>89</sup> intellectus et per istam solucionem rupta est nimis longa cathena tocius argumenti.

2º arguit contra hoc, quod dixi: 'mundus architipus solum est<sup>90</sup> intelligibilis<sup>91</sup>. Sequitur, quod ipse mundus architipus sit solum in intellectu et non in re'. Nego istam consequenciam, cum pocius sequatur oppositum: si enim est in intellectu, tunc est in re; et quando dicit: 'illud solum dicitur esse intelligibile, quod est in intellectu et non in re', hoc nego. sed dico, quod illud dicitur solum intelligibile, quod est in intellectu, et non in existentia propria ad extra. Ex tunc ad confirmationem quando arguit: 'Mundus iste productus ex tempore est <aut> idem mundus numero, qui fuit cognitus a Deo, aut est alius mundus numero' nego disiunctivam eo, quod nullus mundus est productus ex tempore. Sed bene tempus, quod est pars mundi sensibilis, est productum cum mundo et per istud argumento<sup>92</sup> magistri abscisa est longa cauda.

3º contra conclusionem 4<sup>am</sup>, in qua dixi: || 'mundus iste sensibilis non potuit per creacionem eternaliter esse productus' arguit sic iuvando monachus fratrem adversus auctoriam 'non minoris potentie fuit Deus ab eterno, quam in tempore': concedo. 'Sed in tempore potuit Deus mundum producere, ergo ab eterno Deus potuit producere mundum'. Concedo consequenciam et nego minorem, nisi sic velit accipere: 'in tempore Deus<sup>93</sup> potuit mundum producere, tamquam totum in sua parte'; et quando infert 'ergo conclusio falsa' nego consequenciam. Nam stant simul iste: mundus iste sensibilis non potuit per creacionem eternaliter esse et ab eterno Deus<sup>93</sup> potuit mundum producere, quia ab eterno habuit potentiam, ut mundum produceret, quando vellet. Tunc quando confirmat fractum argumentum: 'Non minoris potentie est Deus, quoad produccionem alicuius creature, quam quecumque

<sup>87)</sup> Codd.: ducere I. — <sup>88)</sup> Codd.: ipso add. I. — <sup>89)</sup> Codd.: post intellectus H. — <sup>90)</sup> Codd.: sit ante solum H. — <sup>91)</sup> Codd.: in intellectu H. — <sup>92)</sup> Codd.: argumentum I errore. — <sup>93)</sup> Codd.: post potuit H.

creatura sui proprii effectus', concedo: et quando assumit: 'Sed sol producit lumen in aere sibi coevum et ignis splendorem, ergo et Deus omnipotens conditor omnis creature a forciori si voluissest, mundum ab eterno produxisset et producere potuisset', hic <sup>5</sup> concedo consequenciam, sicut et istam: 'Deus omnipotens si voluissest, illum sic arguentem<sup>94</sup> asinum fecisset'. Sed probet magister meus, quod potuit Deus illud velle.

<sup>4º</sup> arguit contra conclusionem sic: 'libertas alicuius agentis non minuit eius perfeccionem et vigorem'. Concedo. 'Sed si Deus ageret ex necessitate nature et non libere, tunc Deus mundum produxisset ab eterno'. Concedo, ymmo ad illam minorem concedo sequi, quod Deus non esset, cum ablata libera Dei accione tolleretur et Deus; et quando infert: 'ergo cum Deus producit res liberrime, videtur, quod Deus potuit<sup>95</sup> ab eterno producere mundum', concedo | consequenciam et consequens, sicut prius, quia <sup>| I</sup> stat cum conclusione. Et ad confirmationem, quando arguit: 'non minus potens est divina essencia, quam divina persona', concedo. 'Sed persona divina producit ab eterno personam a se personaliter differentem, ergo eciam divina essencia potuit ab eterno producere essenciam a se essencialiter differentem<sup>96</sup>, videlicet mundum'. Istud argumentum peccat in materia<sup>97</sup> et in forma. In materia in minore, in forma, quia a pari sequeretur, quod essencia divina posset generare sic arguendo: Non minoris potencie est<sup>98</sup> essencia divina, quam persona. Sed persona divina generat ab eterno personam a se personaliter differentem: igitur essencia divina potuit generare aliam essenciam a se essencialiter differentem. Et sic magister meus usus argumento abbatis Joachim, quia monachus, quo voluit probare, quod divina essencia generaret, ut Joachim est deceptus. Item contra conclusionem arguit sic: 'Humanus intellectus potest apprehendere sive intelligere Deum ab eterno fuisse rerum<sup>99</sup> productorem': nego assumptum, nisi deciperetur, sicut deceptus est intellectus Aristotelis, ponens mundum sensibilem existere ab eterno. Ad probacionem cum dicit, 'assumptum est de intentione b. Augustini 10º de civitate Dei', nego assumptum, quia magister meus verba Augustini pro illo non habuit, et sic non posuit, et intentionem Augustini sibi occultam probare non potest, ergo deficit in probando. Et sic quando infert: 'igitur conclusio magistri videtur esse falsa et divine potencie derogare', nego istam consequenciam. Unde sicut <sup>30</sup> hoc dictum: 'non potest Deus peccare' vel istud 'non potest Deus se destruere' non derogat Dei potencie, sed ipsam laudabiliter ex tollit, sic ista conclusio 'mundus iste sensibilis non potuit eterna- <sup>35</sup> liter || esse productus', attestatur laudem et potentiam Dei, quia <sup>138 A</sup>

<sup>94)</sup> Codd.: argumentum D pessime. — <sup>95)</sup> Codd.: post eterno DI. — <sup>96)</sup> Codd.: differandam H errore. — <sup>97)</sup> Codd.: materiam I. — <sup>98)</sup> Codd.: post minoris I. — <sup>99)</sup> Codd.: rerum H.

ostendit, quod nulla res creata potest Deo eternaliter coexistere, cum eternitas vere essencie conpetat soli Deo.<sup>100</sup>

Iam restaret rev. mag. mei Joh. Frankenstein<sup>101</sup> argumenta solvere. Sed quia contra me non arguit, ideo<sup>102</sup> nichil solvam.

<3.> Restat ergo tertio contra dicta<sup>103</sup> magistrorum<sup>104</sup> et dominorum baccalariorum arguere, et primo contra reverendum fratrem Johannem de Monte<sup>105</sup>, sacre theologie baccalarium formatum, qui<sup>106</sup> in suo principio in tertium ponit<sup>107</sup> primam *conclusionem* istam: ‘quibusunque convenit unio essencialis, illis repugnat unio personalis’. Contra: sequitur ‘quibusunque convenit unio<sup>108</sup>’ etc. Sed Verbum Dei et humanitas Christi sunt aliqua, quibus convenit unio essencialis: igitur Verbo Dei et humanitati repugnat unio personalis: contra totam positionem domini baccalarii. Sed minor arguitur: nam Verbo Dei convenit unio essencialis cum Patre et humanitati Christi cum humanitate; et probacio conclusionis reverendi baccalarii deficit: nam probat sic: unio personalis requirit diversitatem naturarum; sed ubi non est unio personalis, ibi non est diversitas naturarum, ergo conclusio vera: consequentia primo non valet, 2º minor est falsa. Et quando dicit, quod patet minor de se, dico, quod non ad veritatem patet, sed ad falsitatem, cum inter Sortem et brunellum, posito quod sint, non est unio personalis, et tamen est diversitas<sup>109</sup> naturarum.

Ponit secundam<sup>110</sup> *conclusionem*<sup>111</sup> istam: ‘licet Filius in divinis quamlibet creatam substanciam corporalem possit suppositare, non tamen potest quamlibet talem sibi suppositaliter unire’. Probat sic, quia Filius Dei continet eminenter quamlibet creatam | substanciam; | I et quelibet talis est suppositabilis. Ecce hic petit, quod debet probare, quod sibi negatur, et per consequens conclusio relinquitur inprobata. Sed contra conclusionem arguitur sic: primo supponendo, quod ly. ‘necessario’ secundum communem logicam supponat pro illo, quod est vel esse<sup>112</sup> potest, sicut concedit opinio, quam in suis dictis sequitur baccalarius, quod iste homo necessario est, demonstrato Christo; quo dato sequitur, quod debet concedi hec<sup>113</sup>: necessario Verbum Dei est totus mundus corporeus. Similiter ista debet concedi<sup>114</sup>: Verbum Dei est<sup>115</sup> quidlibet substancialis corporale. Patet sic arguendo: hoc necessario est Verbum Dei, demonstrato Filio Dei<sup>116</sup> et hoc<sup>117</sup> idem Verbum Dei est vel potest esse totus mundus corporeus vel quidlibet corporale; igitur necessario Verbum Dei est totus mundus corporeus vel quidlibet corporale. Ista<sup>118</sup> consequentia est bona. Et maior nota est de se et minor est prima

<sup>100)</sup> Codd.: Dei I errore. — <sup>101)</sup> I: Ffranlensttem HD. — <sup>102)</sup> Codd.: igitur I.

— <sup>103)</sup> Codd.: eorum add. I. — <sup>104)</sup> Codd.: verba magistrorum ~ Monte om. H,

duo ultima (de Monte) om. I. — <sup>105)</sup> Codd.: post in H. — <sup>106)</sup> Codd.: posuit I.

— <sup>107)</sup> I: om. Codd. — <sup>108)</sup> Codd.: licet add. D. — <sup>109)</sup> Codd.: post istam D. —

<sup>110)</sup> Codd.: consequentiam ante secundam I. — <sup>111)</sup> Codd.: post potest ID. —

<sup>112)</sup> Codd.: verba hec ~ concedi om. I, in marg. add. D. — <sup>113)</sup> Codd.: om. I.

— <sup>114)</sup> Codd.: est add. I. — <sup>115)</sup> Codd.: haec verba omnia Ista ~ corporale om. I aberrans oculis.

pars conclusionis per subsumpcionem domini baccalarii, que dicit: Filius in divinis quamlibet creatam substanciam corporalem potest suppositare: sed consequens utriusque consequentie non bene sonat in auribus, quod Filius Dei necessario esset totus mundus corporeus et Filius Dei necessario est quidlibet substancialie corporale<sup>115</sup>: ergo conclusio non bene sonat.

2º videtur sequi, quod Christus possit<sup>116</sup> esse quantumlibet<sup>117</sup> monstruosus, quod esse non potest, cum minimum inconveniens sit Deo impossibile. Sed consequentia videtur ex hoc, quod mille capitibus existentibus incommunicantibus in eodem corpore, ut proporcionaliter de aliis membris organicis, foret ille homo evidenter monstrum magnum. Sed hoc potest esse de Christo, cum omnem humanitatem potest assumere, ut innuit sua conclusio: ergo consequentia bona. Si enim totam unam congregacionem<sup>118</sup> assumeret tam maris quam femine, adhuc foret per ipsum baccalarium unus homo. Nam dicit in corellario 4º conclusionis 4º: Stat, quod nunc mille homines sint et cras erit tantum unus homo absque hoc, quod aliquis corrumptatur vel annichiletur; patet, si omnes humane nature iam assumerentur a Verbo, tunc essent illi omnes solus unus homo, quia unum suppositum, et ante fuerunt|| mille et nichil est corruptum vel anichilatum. Et istud corellarium I implicat<sup>119</sup> ulterius, quod mille homines mille<sup>113</sup> capita reddunt in unum caput Christi, vel si manent illa capita, tunc erit unus homo cum mille capitibus.

3º arguitur sic: Si Christus potest simul<sup>120</sup> habere humanitates tam dispariter actuatas, cum hoc, quod maneat idem homo, tunc potest pro diversis sitibus habere denominaciones et per consequens extensis illis humanitatibus forent accidentia contraria extensa, et sic idem simul et semel contrariis accidentibus informatum. 30 Consequens falsum, igitur et conclusio.

4º videtur sequi, quod Christus in infinitum bonum animal posset esse, quia mensura bonitatis rei composite capit ex principiis intrinsecis, cum disposicionibus formalibus in eodem. Ex quo sequitur, quod Christus ratione multitudinis humanitatum foret melior homo, quam si solum unam assumeret. Patet consequentia supposito illo, quod Christus sit tantum finite bonus homo iuxta ipsius<sup>121</sup> dictum: »Pater maior me est« Jo h a n n . 14º.

5º sequitur, quod animal irrationale esset beatificabile, quia unibile suppositaliter Verbo: Consequens falsum, dicente b. A u g u - stino 88 questionum<sup>113</sup> q. 5ª: »Nullum animal irrationale<sup>122</sup> potest esse beatum«, et multo evidencius nec aliqua substancia inanimata potest esse beatificabilis.

Contra *conclusionem 4am*, in qua dicit: 'licet hec incepit<sup>123</sup> esse vera: Deus est homo et homo est Deus, tamen nullus homo

<sup>116</sup>) Codd.: posset I. — <sup>117</sup>) Codd.: post possit H. — <sup>118</sup>) H: cognitionem Codd. — <sup>119</sup>) Codd.: implica I errore. — <sup>120</sup>) Codd.: post habere H. — <sup>121</sup>) Codd.: illud H. — <sup>122</sup>) Codd.: irrationabile I. — <sup>123</sup>) Codd.: incipit I.

incipit<sup>123</sup> esse Deus'. Contra hoc dicit b. Augustinus in Libro de predestinatione sanctorum: »Ille homo a Verbo Patri coetero in unitatem personae assumptus, ut Filius Dei<sup>124</sup> unigenitus esset ipse homo, ex<sup>125</sup> quo esse cepit, Filius Dei unicus<sup>138D</sup> esse cepit.« Ex quo sic arguitur: ille homo, ex quo esse<sup>126</sup> cepit, Filius Dei unicus<sup>127</sup> esse cepit: igitur aliquis homo, ex quo esse cepit, Deus esse cepit. Consequencia tenet ab inferiori ad superiorius affirmative a parte subiecti et predicati sine impedimento, et consequens est contradictionum illius: nullus homo incepit esse Deus, vel implicans eius contradictionem. Et quid dicet frater reverendus ad istud argumentum: 'Deus incepit esse homo, igitur homo incepit esse Deus': forte negabit conversionem simplicem vel pulcre convertet suam propositionem.

Hec sint dicta cum humili reverencia propter informacionem capiendam.

<4> Iam restat contra reverendum Magistrum meum<sup>128</sup>  
**Matheum**, sacre theologie baccalarium, arguere, qui caute posuit solum duas conclusiones. Sed tamen contra 2<sup>am</sup>, que est ista: 'Sacre theologie studium est vite eterne meritorium' arguitur sic: Nullum studium sacre theologie est vite eterne meritorium, igitur conclusio falsa. Antecedens probatur, quia nec studium sacre theologie Magistri Mathei nec alterius hominis existentis studium est sacre theologie meritorium, ergo nullum etc. Consequencia nota est et antecedens non audebit magister de se negare, cum non scit, si per suum studium meretur et pari ratione, vel maiori, nec de alio. Item: sacre theologie studium de se est indifferens ad merendum vel<sup>129</sup> demerendum, cum plures demerentur quam merentur, iuxta illud Psalmi 52<sup>i</sup>: »Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.« Et magister non habet alicuius studentis dare studium meritorium, pro quo verificaret suam conclusionem indefinitam; ergo ipsa est falsa vel minime dubia. Et ista argumenta confirmat<sup>130</sup> magister solvendo argumentum, quod fecit in contrarium conclusionis sue, dicens, quod demonium credere est informe, quia sine caritate et<sup>131</sup> per consequens non meritorium; sic eciam dico<sup>132</sup>: sacre theologie studium est inmeritorium, quia informe sine caritate<sup>131</sup>. Et magister non est certus de aliquo sacre theologie studio, quod sit in caritate, ergo nec certus est de conclusione.

Hec pauca contra pauca cum reverencia sint<sup>133</sup> dicta. Amen<sup>134</sup>.

Explicit principium in tertium Sentenciarum. H

<sup>124)</sup> H: post unigenitus DI. — <sup>125)</sup> Codd.: e I. — <sup>126)</sup> Codd.: post cepit I. — <sup>127)</sup> Codd.: post unicus I. — <sup>128)</sup> Codd.: om. H, magistrum add. D. — <sup>129)</sup> Codd.: et I. — <sup>130)</sup> Codd.: post Magister H. — <sup>131)</sup> Codd.: haec verba omnia et in karitate om. I aberrans oculis. — <sup>132)</sup> H: quod add. D. — <sup>133)</sup> Codd.: post dicta I. — <sup>134)</sup> Codd.: om. I; liber unus distinccio prima etc. add. D.